DE
ATIONIBUS ANNORUM IN HISTORIA GRAECA XENOPHONTIS SUSPECTIS.

SCRIPSIT

AUGUSTUS BRUECKNERUS

CONRECTOR GYMNASII SUIDNICENSIS.

SUIDNICII.

TYPIS KUPFERI, TYPOGR. VRATISL.

MDCCCXXXVIII.

De notationibus annorum in historia Graeca Xenophontis suspectis.

Quum multa adhuc reperiantur in historia Graeca Xenophontis, quae vel corruptionis vel interpolationis nomine suspecta sint, tum celebrata inprimis ea quaestio est, quam annorum, quae sunt in duobus prioribus libris, notationes moverunt. Quam a Marshamo [1]) primum excitatam mox ita pertractavit Henr. Dodwellus [2]), ut in eiiciendis et olympiadum, quae insertae passim leguntur, et archontum atque ephororum notis, qui post eum ad rem illam animum applicarent, fere omnes adsentientes haberet [3]). Codicum enim manu scriptorum, ut qui tot praeterea in hoc opere premantur vitiis ac corruptelis [4]), tam dubia est auctoritas, ut non multum sane ad vindicandos illos locos, qui integri apud eos leguntur, faciant, historica autem, quibus impugnantur illae nota-

1) Laudat Dodwell. chron. canon. secul. XVI, p. 459.

2) Primum in praelectione, quam ipse in libro de cyclis laudavit, Camdeniana inaugurali, deinde de cyclis vet. Graec. et Rom. diss. VIII, p. 340—361.

3) Commemorasse sufficiet: Morum (Examen quorundam locorum hist. Gr. Xenophontis, editioni eius praefixum), Schneiderum (Praef. editionis et in adnot. passim), Clintonum (Fasti Hellenici p. 286 not. u ed. Krüger) et Idelerum (Handbuch der Chronol. 1, p. 272 not. 2). E dissentientibus nonnisi novi Peterum (Comment. crit. de Xenoph. Hellen. 1837), cuius tamen, vix puto refutationem aliquam desideraturum esse, qui disputationem accuratius legerit.

4) Codicum Parisiensium quas Gailius publici iuris fecit lectiones (Oeuvres complètes de Xénophon Tom. VII, P. 1. Descripsit Tom. VII, P. 2, p. 89—93) et in alteram suam editionem Schneiderus recepit, etsi magnam partem (inprimis e praestantissimis eorum cod. B et D) in margine editionis suae iam Stephanus ediderat, F. A. Wolfius tamen in epistola ad Schneiderum historiam Graecam Xenophontis non dubitabat opus dicere, ex unius membranae rivulis deductum. Quod iudicium utut e copiis illis Gailianis restringendum est, e quibus L. Dindorfii inprimis non pauca adscivit editio, in locis tamen maxime desperatis etiam maxima adhuc inopia est.

tiones, tam gravia argumenta sunt, ut aut falsa Xenophon quae sciret esse, tradidisse miramque in se inconstantiam admisisse, denique et sibi pluribus in locis et saeculi consuetudini repugnasse censendus, aut locis illis liberandus sit.

Sed latius etiam res ea patere nec solas illas olympiadum et magistratuum notas, sed eos quoque locos complecti videtur, qui annis praeter illas discernendis inserviunt. Tam arcta enim his cum illis necessitudo intercedit, ut trahi iam hac de caussa in suspicionem possint. De qua re quae animadvertisse mihi visus sum, iam ita sum explicaturus, ut a Dodwelli quidem illa disputatione proficiscar, sed retractem simul, quae minus ille commode exposuisse videatur, diligentiori autem eos locos examini subiiciam, quos aliena praeter olympiadum et magistratuum notationes opera consarcinatos habeam, sperans simul, fore, ut ad eam quoque, quae mota nuper est [5]) de priorum duorum librorum ad quinque posteriores ratione quaestionem profligandam nonnihil inde conferatur.

Historicae Graecorum artis primordia si Cambysis Persarum regis non tempora excedunt [6]), logographorum autem, qui dicuntur, opera, non multum illa quidem ab epicis carminibus in pedestrem sermonem redactis diversa, fabulas primum magis quam historias complectebantur, principes illos in historica arte triumviros Herodotum, Thucydidem et Xenophontem primos quoque fuisse fere apparet, quos rerum Graeci suarum auctores haberent. Temporum igitur computandorum studium quum ab acriore demum rerum ipsarum pervestigatione proficisci posset, etiam illud vix potuit animos advertere, quum mythica adhuc et fabulosa historiae ratio esset. Rerum enim quo magis haec fidem et veritatem consectabatur, eo etiam temporum adiiciendorum necessitas adaucta est. Chronologiae autem quanta ab initio vel ambiguitas vel simplicitas fuerit, ipsae docent Herodoti historiae, ut qui non habeat nisi aetates hominum regnorumque a certo quodam sui temporis anno computatorum spatia, quibus ad constituenda tempora utatur. Quid quod Thucydides quoque, quo nemo diligentius versatus est in rebus chronologicis, tam longe tamen adhuc aberat a certa quadam, quam vocant, aera, ad quam amplior quaeque revocanda est temporum computatio, ut in numerandis belli annis aestate quaque et hieme discernenda fere acquiesceret?

Aerae cuiusdam inveniendae primam haud dubie viam monstrabant magistratuum nomina, Athenis archontum, Spartae ephororum. Qui quum eponymi simul essent, quibus decretorum potissimum publicorum anni designarentur, quid magis fuisse historicis in promptu videtur, quam ut arriperent et ipsi hanc rationem et in usum suum

---

5) Niebuhr, Kl. hist. Schriften p. 464—470. Krüger, historisch-philologische Studien.

6) Dodwell., Apparatus ad Annal. Thucyd. p. 3.

converterent? Et sane tum Herodotus usus est[7]) Calliadae archontis nomine, ut eversarum a Persis Athenarum annum notaret, tum pluribus in locis Thucydides nomina et archontum et ephororum, denique Argivae etiam Junonis sacerdotis retulit. Integros vero iam tum magistratuum Fastos extitisse, quales de archontibus postea confecisse Demetrius Phalereus dicitur, vix est cur statuamus. Ex Herodoto enim et Thucydide[8]) colligi hoc nequit. Qui quum eo tantum magistratuum nominibus consilio utantur, ut singularum quarundam rerum tempora accuratius constituant[9]), de perpetuis plane non opus est illorum magistratuum fastis cogitemus. Eo quoque loco[10]), ubi defendere rationem suam annorum belli numerandorum Thucydides videtur contra eam, qua magistratuum numerentur nomina, de spatio nonnisi temporis dicit, quod ab initio belli usque ad inducias quinquennales elapsum sit, in quo ne quis de decem istis annis, quos praeteriise statuit, dubitaret, admonitos voluit lectores, ut ne magistratuum nominibus, qui diversis admodum anni temporibus susciperentur, in errores se abduci paterentur.

E scriptoribus illius aetatis nonnisi duo sunt, quibus intentior ad tempora constituenda cura tribui possit, Hellanicus Lesbius et Pherecydes Lerius, uterque propter scriptiones de Attica antiquitate editas[11]). Horum de posteriore quid statuendum sit, quum taceant veteres, in medio relinquendum est; de priore ad Thucydidis[12]) provocare licet auctoritatem, qui quum reprehendisset illum, quod rerum post Medica gestarum minus diligenter tempora observasset, ipse tamen, quamquam accuratius sibi in hoc genere versatus esse videbatur, certam quandam temporum huius periodi computationem non attulit, dubitationum, quas pentecontaetia ista apud posteros excitatura esset, parum curiosus. In quo genere si vetustiores illi historici maiorem ponere diligentiam voluissent, quid caussae fuisset, cur e veteribus, quibus omnes illi deperditorum iam operum thesauri adhuc paterent, de Graecorum chronologiae etiam recentioribus v. c. Themistoclis temporibus obscuritate tantopere conquesti essent[13])?

Similis fuit olympiadum ratio. Quae quum et certis usque intervallis redirent et victorum nominibus posteritatis memoriae servarentur, harum quoque auctoribus rerum in promptu fuisse usus videtur. Iusta autem quum chronologia non prius inde confici posset, quam constituto quodam, a quo proficiscerentur illae, termino magistra-

---

7) VIII, 51, ubi quattuor mensibus postquam Hellespontum cum copiis transire coeperit, in Atticam Xerxes venisse dicitur *Καλλιάδεω ἄρχοντος Ἀθηναίοισι*. Sed hic unus locus est.

8) II, 2. V, 19. 25.

9) Ineuntis belli et pacis Niciae, quae dicitur, l. l. mentio fit, adiectis etiam mensium notis.

10) V, 20. 11) Dahlmann, Forschungen II, p. 128. 132.

12) I, 97 *τούτων δὲ ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ Ἑλλάνικος, βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη.*

13) Plutarch. Themistocl. 27. Clinton. F. H. p. III.

tuum simul et victorum Olympicorum perpetuo quodam ordine comparatio instituta esset, difficilius hoc atque aerumnosius fuisse opus videtur, quam cui antiquiores illi historici pares essent. Olympiades igitur quod passim ab iis, adiunctis simul victorum nominibus, memoratae sunt, factum esse non alias videtur, nisi ubi ratio rerum inprimis tempora iubebat respici. Ac iure illud a Dodwello notatum est, Olympiadum ubi a Thucydide [14]) mentio iniecta fuerit, neque numerari eas, neque stadionicas memorari, qui eponymi facti sint vulgaris illius sed serioris olympiadum computationis, sed pancratii victores, quorum insignius videretur certamen esse. Iam quum scriptoris constet gravissimi [15]) auctoritate, quis olympiadum illam primum cum archontum Atticorum, sacerdotum Iunonis Argivarum, ephororum et regum Lacedaemoniorum annis comparationem instituerit, stadionicis, quorum nominum longissime recurreret [16]) index, in eponymorum locum adsumptis, apud scriptores eos, qui ante Timaeum fuerunt, quae numeros indicant annorum olympiades, ea ipsa de caussa suspectas habeamus necesse est [17]).

Patet fortasse his praemissis, quid de olympiadum illis et magistratuum, quae sunt apud Xenophontem, notis universe iam statuendum sit. Quae si ita usurpatae essent, ut singulis tantum iisque memoratu inprimis dignis rebus ad tempora sua revocandis inservirent, offensionis fortasse minus obiicerent, ad annos autem ipsos quod adhibitae sunt distinguendos et numerandos, a saeculi iam exploratum videtur consuetudine alienum fuisse. Sed ne recte quidem constitutae sunt, duobus certe in locis [18]), neque ita sibi constitit auctor, ut, quas semel posuisset, eas ubique poneret [19]). Adsentimur autem in eo quoque Dodwello [20]), quod exemplum scriptor Thucydidis secutus in temporibus acquieverit annorum distinguendis, dum ne ita putemus Xenophontem se ei adstrinxisse, ut eadem prorsus, qua ille, diligentia et aestiva et hiberna tempora notaret [21]). Intentius eiusmodi studium alienum erat a simplicitate Xenophontis, etiamsi

---

14) III, 8. V, 49. 15) Polyb. XII, 12.

16) Pausan. V, 8, 3. Praeter Timaeum sane etiam Hippiae Eleo olympiadum aliqua tribuitur descriptio (Plutarch. Numa c. 1 *ὧν* (sc. *Ὀλυμπιονικῶν*) *τὴν ἀναγραφὴν ὀψέ φασιν Ἱππίαν ἐκδοῦναι τὸν Ἠλεῖον, ἀπ' οὐδενὸς ὁρμώμενον ἀναγκαίου πρὸς πίστιν*), sed incertum videtur, num Socrati qui fuit aequalis, intelligendus sit.

17) Fuisse hoc ipsum constat, quod moveret Marshamum, ut in suspicionem vocaret olympiadum apud Xenophontem et magistratuum notas.

18) Hell. 1, 2, 1 et 1, 3, 1. Vid. Dodwell. de cycl. p. 346 et 347.

19) Omisit enim I, 1, 11. I, 4, 1. I, 5, 1. Cf. ad h. l. Schneiderum in adnotat. et praef. p. VIII.

20) de cycl. diss. VIII, 19 p. 341.

21) In qua re quam accurate Thucydides versatus sit, ipsi, quibus tempora annorum commemorat, loci facile docent. II, 1 *γέγραπται δὲ ἑξῆς, ὡς ἕκαστα ἐγίγνετο κατὰ θέρος καὶ χειμῶνα* Initium

hoc agebat, ut Thucydidis continuaret historiam, nimiumque illi Dodwellus tribuisse videtur, qui lacunas propterea in Xenophontis contextu, ubi notae illae desiderarentur, statueret. Hoc quoque recte censeamus Dodwellum disputasse, quod non unius sed duorum interpolatorum manus in eo agnovit, quod qui I, 3, 1 et I, 6, 1 anni belli numerantur, non additi essent ab eo, qui olympiadum et magistratuum notas adiecisset [22]). Neque enim idem esse potuit, qui quum annum notasset adhibita olympiadum et magistratuum computatione belli vicesimum quintum, hunc tamen simul alterum et vicesimum diceret (1, 3, 1), et qui notas indicasset anni sexti et vicesimi, annos tamen belli quattuor et viginti praeteriisse contenderet.

In eandem vero suspicionem eos quoque trahere locos licet, quibus praeter illas olympiadum magistratuumque notas annorum vel initia vel exitus insigniuntur. Intelligo eos locos, quibus haec fere verba leguntur: *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν — τῷ δ' ἐπιόντι* etc.

---

belli quam diligenter constituerit vid. II, 2. Praeterea: II, 47, 70, 71, 103. III, 1, 25, 28, 116. IV, 1, 51, 52, 116, 117, 135. V, 1, 20, 39, 40, 51, 52, 56, 57, 81, 82, 83, 84. VI, 7, 93, 94. VII, 18, 19. VIII, 6, 60, 61, ut eos locos taceam, in quibus singularum quarundam rerum, quae media vel aestate vel hieme acciderunt, tempora designantur. — Apud Xenophontem non desunt quidem temporum notae statim a limine operis. Finitae autem aestatis, quam Thucydides tam studiose usque notare solet, nulla notatio nisi in vocibus *ἀρχομένου χειμῶνος*. Iam omissa plane vel exeuntis anni belli XXI vel ineuntis XXII notatio est, ad quem quae pertinent expeditiones, inde a I, 1, 11 narrari, recte statuere Dodwellus videtur. Non minus deest exitus aestatis anni XXII et initium hiemis. Ac si hieme neque naves Piraeum ingredi poterant, neque ab Agide rege mitti, qui commeatum intercluderent Atheniensium in Hellesponto (I, 1, 35, 36), hieme illa plane non traditur, quid gestum sit. I, 2, 1 extr. enim legimus: *ἀρχομένου τοῦ θέρους*. Tum sane ita porro distinguuntur tempora: I, 2, 14 *καὶ χειμὼν ἐπῄει* (cf. 1, 2, 15, 17), I, 3, 1 *ἐπεὶ δ' ὁ χειμὼν ἔληγε, ἔαρος ἀρχομένου*, I, 4, 1 *τὸν χειμῶνα*, I, 4, 2 *ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος*. Post narrationem autem de reditu Alcibiadis (1, 4, 12) rursus destituti sumus exeuntis aestatis et ineuntis hiemis notatione. Neque tamen negari potest, quae traduntur usque ad cap. 5 extr., fieri potuisse, ut ante hiemis initium gererentur. Hiemis igitur mentio etiam hoc loco prorsus neglecta est; Callicratidas enim sequente demum aestate imperium suscipere potuit (I, 6, 1 *οἱ Λακεδαιμόνιοι τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου ἔπεμψαν ἐπὶ τὰς ναῦς Καλλικρατίδαν*). Neque eius anni duplex tempus distinguitur, quamquam II, 1, 1 verba leguntur *ἕως μὲν θέρος ἦν* etc. Lysander autem altera vice non potuit ante proximam aestatem dux navalis cum Araco mitti (II, 1, 7). Et per hoc ipsum imperii Lysandri spatium iterum prorsus deest quaeque aestivi et hiberni temporis distinctio. Quamvis igitur in multis alioquin temporum a Xenophonte ratio habita sit (Hell. I, 1, 10, 20. I, 2, 7. I, 3, 4 [cf. Thucyd. III, 1]. I, 4, 12, 20, 22. I, 5, 1. I, 6, 20. II, 2, 16, 17), plura tamen incuriae cuiusdam in hoc genere exempla obveniunt, quam ut par sit Xenophon in eo Thucydidi vel de lacunis continuo cum Dodwello apud illum ex iis concludi possit.

22) Dodwell. de cycl. VIII, p. 347. Eiusdem fortasse interpolatoris fuerunt verba: *ἐτῶν ἤδη τῷ πολέμῳ πέντε καὶ εἴκοσι παρεληλυθότων* II, 1, 7.

Qui quum nusquam reperiantur, nisi ubi olympiades quoque, archontes et ephori memorantur, eandem, quam illa, si genuina essent, auctori inconstantiam obiicerent. Nulla enim eiusmodi nec exeuntis anni nec ineuntis notatio est Hell. I, 1, 11 et I, 4, 1, quamquam hic quoque exspectabamus ista *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν, ἐν ᾧ* etc. et *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει* etc. Quod igitur annorum discernendorum studium olympiades admiscuit et magistratuum nomina, idem reliqua etiam illa ut adiungerentur fecisse videtur.

Sed ipsi inspiciendi loci videntur. Annus belli secundus et vicesimus, cuius post missas Byzantium ab Agide naves exitus fuisse dicitur (c. 1 extr.), his praeterea verbis notatur: *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν, ἐν ᾧ Καρχηδόνιοι, Ἀννίβα ἡγουμένου, στρατεύσαντες ἐπὶ Σικελίαν δέκα μυριάσι στρατιᾶς, αἱροῦσιν ἐν τρισὶ μησὶ δύο πόλεις Ἑλληνίδας, Σελινοῦντα καὶ Ἱμέραν*, quae quidem continuo haec sequuntur: *Τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐννενηκοστὴ* etc. De rebus autem Siculis neque in duobus prioribus neque in reliquis quinque libris praeter ducum Syracusanorum, qui in navalibus fuerunt Lacedaemoniorum copiis, mentionem et illud postea a Dionysio praestitum Lacedaemoniis auxilium explicatur, nisi his ipsis locis, quos suspectos de interpolatione habemus. Alienae enim illae a scriptoris consilio fuerunt. Unde annum tantum ut designarent accuratius, posita illa verba et eundem cum sequentibus olympiadis et magistratuum notis finem habere videntur. Mirabili igitur casu accidit, ut quem in his auctoris errorem adnimadvertimus, eundem in illis deprehendamus. Annus is belli si cum olympicis comparatur, in Olymp. 92 $\frac{2}{3}$ incidit. Iam quum Diodorus (XIII, 44), maiore, quum ex Ephoro sua et Timaeo hauserit (XIII, 54, 60), in his rebus fide dignus, Hannibalem, Carthaginiensium ducem, per aestatem tradat et hiemem Olymp. 92, 3 bellum paravisse, vere autem copias in Siciliam traduxisse, tres illi menses quum adnumerantur, aut annus, qualis a Xenophonte alienus est, olympicus statuatur, aut in sequentem annum illa et obsidio et expugnatio Selinuntis et Himerae transferatur necesse est. Diodorus certe bellum illud Hannibalis Ol. 92, 4 posuit, unde partem certe eius aliquam ad eum annum pertinere apparet, etiamsi iam ante hiemem ineuntem Carthaginem Hannibal rediit (Diod. XIII, 62)[23]. Quo minus autem, si Xenophontis haec verba essent, cum Diodoro conciliari possent, eo facilior eorum explicatio est, si eidem tribuantur, qui mox sequentem ut designaret annum, Olymp. 93, 1 Xenophonti infersit. Hic enim quum de superiore anno quae Xenophon narravisset, Olymp. 92, 4 perperam adsignaret, non dubitavit etiam Hannibalis illam expeditionem in eum annum

---

23) **Verba illa pro Xenophonteis habens, Dodwellus sic ea cum Diodoro conciliare tentavit, ut de suscepta tantum apud Xenophontem expeditione sermonem esse contenderet. „Sed *στρατεία*, quae vox est Xenophontis, tam de apparatu potuit quam de rebus gestis intelligi" de cycl. p. 346. Sed captae diserte ab interpolatore urbes istae hoc anno dicuntur.**

recipere[24]). Locus igitur non dubito quin ita constituendus sit, ut verba *ἐκεῖθεν δὲ ἐς Βυζάντιον ἐσώθησαν* statim excipiant: *Καὶ Ἀθηναῖοι μὲν Θορικὸν ἐτείχισαν, Θράσυλος δὲ* etc. Quae temporis nota hoc loco requiritur, in verbis *ἀρχομένου τοῦ θέρους* (I, 2, 1) continetur.

Ad sequentem annum notandum quae praeter magistratuum nomina et belli annos traduntur, ex iis sane afferri non possunt, quibus similis evincatur auctoris error, quum nec Medi quo anno in ditionem reversi sint Darii, neque templum Phocaeae illud Minervae quando de coelo tactum consumtumque igne fuerit (I, 2, 19. I, 3, 1), quod sciam, aliunde constet. Non desunt tamen in ipsis verbis, in quibus iure offendas ac manum interpolatoris agnoscas. Rerum enim anno belli XXIV gestarum narratio incipit a verbis *ἐπεὶ δ' ὁ χειμὼν ἔληγε ἔαρος ἀρχομένου*. Auctor igitur cur haec verba praemisit: *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους ὁ ἐν Φωκαίᾳ νεὼς τῆς Ἀθηνᾶς ἐνεπρήσθη, πρηστῆρος ἐμπεσόντος?* Num propterea quod rem tam memorabilem ducebat, ut omittere eam nollet, neque tamen haberet, quo aptiore eam loco referret? An quod annum, quem significaturus erat, accurate inprimis inde se designaturum esse sperabat? Sed quomodo tam memorabilis res ea videri poterat, quae ad unam tantum aliquam civitatem eamque dudum de pristina sua opulentia deiectam et ad id delubrum pertineret, quod extitisse fortasse nesciremus, nisi id combustum esse hic nos locus doceret? Maiore cum iure incensi Athenis Minervae Poliadis templi mentio facta est cap. VI ineunte, sed hic quoque locus non una de caussa insititius esse videtur. Unde grammaticum non temere statuamus aliquem horum verborum auctorem esse, qui quum rem illam alicubi notatam invenisset, Xenophonti eam suo obtrudere non dubitaverit, quam ad annum inservire certius constituendum crederet. Sic autem statuisse eiusmodi hominem, non incredibile est, etiamsi statuisse hoc minus Xenophontem censeamus. Unde hunc quoque locum, verbis expunctis spuriis, ita puto legendum esse, ut quae sunt I, 2, 18, continuo sequantur verba: *ἐπεὶ δ' ὁ χειμὼν ἔληγε, ἔαρος ἀρχομένου, οἱ Ἀθηναῖοι ἔπλευσαν* etc.

Hell. I, 5, 21 annus belli quintus et vicesimus sic concluditur: *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν, ἐν ᾧ Καρχηδόνιοι ἐς Σικελίαν στρατεύσαντες εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τριήρεσι καὶ πεζῆς στρατιᾶς δώδεκα μυριάσιν εἷλον Ἀκράγαντα λιμῷ, μάχῃ μὲν ἡττηθέντες, προσκαθεζόμενοι δὲ ἑπτὰ μῆνας.* His quoque error subest. Diodoro enim teste (XIII, 79, 80), qui Agrigenti copiose obsidionem narravit, inchoata haec non absoluta est[25]) vere eo,

24) De verbis sequ. cap. 2, 1 *ἡ προστεθεῖσα ξυνωρὶς ἐνίκα Εὐαγόρου Ἠλείου* operae pretium est conferre Pausan. V, 8, 3.

25) Diod. XIII, 91 *Ἀμίλκας δὲ ὀκτὼ μῆνας πολιορκήσας τὴν πόλιν καὶ μικρὸν πρὸ τῆς χειμερινῆς τροπῆς κυριεύσας αὐτῆς* etc. Inchoata igitur obsidio est non ante finitum belli Peloponnes. an-

quo annus ille Xenophonteus concluditur. Rursus igitur aut annum statuamus olympicum necesse est, quamquam ne sic quidem omnis difficultas tollitur, aut erroris auctorem damnemus, qui dubito, num recte imputetur Xenophonti. Coniecturam si facere licet, quemadmodum evenerit, ut qui annum belli XXVI recte significasset, in rerum tamen iterum peccaret notatione, quaerenda caussa in mala rerum Graecarum et Siculagrum commissione videtur. Interpolator enim quum novum annum Xenophontem exordiri e verbis *τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνȣ* et iis, quae antecedunt illa, conclusisset, olympiadis hinc nonagesimae tertiae anni tertii magistratus posuit. Iam vero quae in sequentibus a Xenophonte de suscepto a Callicratida imperio, de Conone fugato et de Mytilene obsessa tradita essent, in fontibus, quibus ad tempora uteretur constituenda (iisdem fortasse, e quibus Diodorus hausit) ad annum antecedentem relata videbat (Ol. 93, 2). V. Diodor. XIII, 79. Unde fieri potuit, ut quum obsidionem Agrigenti cum illis rebus, quas Olymp. 93, 2 adhuc posita inveniebat, non cum qua debebat pugna ad Arginusas insulas commissa (Olymp. 93, 3) conferret, Agrigentum quoque Olymp. 93, 2 obsessum atque expugnatum diceret.

Anni belli XXVI, quem I, 6, 1 ingreditur Xenophon, notationi tum lunae defectus, qui vespertino tempore inciderit, tum combusti Athenis Minervae templi mentio adiecta est. Quod quidem quum *παλαιὸς νεώς* dicatur, non Parthenon sed Minervae illud Poliadis delubrum, cui Erechtheo etiam nomen fuit, intelligendum est. Hoc vero constat conflagratum esse paullo ante pugnam Salaminiam, quum Athenas Persae cepissent (Herodot. VIII, 53. 54), neque, quum tardius opus procederet, restitutum ante Ol. 93. Colligitur enim ex inscriptione, archonte Diocle Olymp. 92, 4 incisa (O. Müller, Minerv. Pol. p. 47. Boeckh., Corp., inscr. Tom. I, p. 264), opus tum eo tantum perductum fuisse, ut parietibus et plerisque columnis collocatis totum tamen tectum adhuc abesset, neque scalpta essent, quae scalpenda et impolita fere, quae polienda fuissent, quae quidem omnia duobus vix tribusve annis absolvi potuerint. Olympiadis igitur tertiae et nonagesimae anno tertio quum aut imperfectum adhuc templum esset aut modo absolutum, non appellari potuisse videtur *παλαιὸς νεώς*. Unde et ipse hic locus erroris convinci atque grammatico potius cuidam quam Xenophonti tribuendus, caussa autem erroris in combusto Minervae archonte Callia sive Calliada (Ol. 75, 1) templo quaerenda esse videtur, ut quod ad Calliam, qui praetor fuit Olymp. 75, 1, pertineret, ad Calliam, qui fuit Ol. 93, 3, referretur [26].

---

num XXV. Ad annum vero tertium olympiadis nonagesimae tertiae (Callia archonte) refert Diod. XIII, 80, qui annus belli est XXVI (406 a. Chr.).

26) Ita O. Müllerus (Min. Pol. p. 19, 20), cui tamen refragatus est Boeckhius (Corp. inscr. Tom. I, p. 264), non quo verba illa negaret interpolatori cuidam tribuenda esse, sed quod vera non firtitia tradi iis existimavit. „Non opere enim sed origine delubrum illud dici τὸν

Deinde verba *ᾧ ἡ σελήνη ἐξέλιπεν ἑσπέρας* rem quidem continere videntur non fictam, quippe quam vere accidisse testantur harum rerum periti [27]), neque absonum est a consuetudine historicorum ad eiusmodi res respicere (Thucyd. IV, 52: *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένε θέρους εὐθὺς τοῦ τε ἡλίε ἐκλιπές τι ἐγένετο περὶ νουμηνίαν καὶ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἱσταμένου ἔσεισεν*), sed miro tamen modo nonnisi vespertino tempore illa lunae accidisse defectio dicitur. Alia res est apud Thucydidem, qui solis, quam dicit, defectionem ad certum simul anni tempus retulit, alia etiam apud Xenophontem Hell. IV, 3, 10 (*Ὄντος δ' αὐτοῦ ἐν τῇ ἐμβολῇ, ὁ ἥλιος μηνοειδὴς ἔδοξε φανῆναι*) et II, 3, 4 (*κατὰ δὲ τοῦτον τὸν καιρὸν περὶ ἡλίε ἔκλειψιν Λυκόφρων*) etc., quamquam hic quoque locus dubitare licet, num Xenophontem auctorem habeat [28]). Unde eiectis suppositiis legenda illa esse putaverim: *ἄλλοτε ἄλλῃ ἀποβαίνων τῆς τῶν πολεμίων χώρας. Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι, τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνε, ἔπεμψαν ἐπὶ τὰς ναῦς Καλλικρατίδαν.*

Anni belli septimi et vicesimi (arch. Alexia Olymp. 93, 4) notationem (II, 1, 10) antecedunt tum verba (II, 1, 7) *τὰς μέντοι ναῦς παρέδοσαν Λυσάνδρῳ, ἐτῶν ἤδη τῷ πολέμῳ πέντε καὶ εἴκοσι παρεληλυθότων*, quae supra iam spuria notavimus, tum II, 1, 8 et 9 *Τέτῳ δὲ τῷ ἐνιαυτῷ καὶ Κῦρος ἀπέκτεινεν Αὐτοβοισάκην καὶ Μιτραῖον, υἱεῖς ὄντας τῆς Δαρειαίε ἀδελφῆς, τῆς τε Ξέρξε, τοῦ Δαρείου πατρὸς, ὅτι αὐτῷ ἀπαντῶντες οὐ διέωσαν διὰ τῆς κόρης τὰς χεῖρας· ὃ ποιοῦσι βασιλεῖ μόνῳ· ἡ δὲ κόρη ἐστὶ μακρότερον ἢ χειρός, ἐν ἧ τὴν χεῖρα ἔχων οὐδὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι. Ἱεραμέ-*

παλαιὸν νεών, ut a novicio Parthenone distingueretur, templique licet flammis prope absumti semper permansisse veterem imaginem, ut nova quoque aedes eadem, quae prisca, habita fuerit. Rudera adeo eius, donec illud instauraretur, veterem religionem retinuisse locum significare Herodoti VIII, 55 *ἔστι δὲ ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ Ἐρεχθῆος τοῦ γηγενέος λεγομένε εἶναι νηός*. Neque absumptum igne dici sed correptum.“ Nunquam autem, puto, mentione dignam rem auctor habuisset, nisi plane combusta aedes fuisset. Dictum vero ut sit templum vetustum, quo distingueretur a Parthenone, quod recentius erat, taceri tamen vix poterat, deletum id esse, quum restitutum nondum esset; hac enim sola ratione *παλαιὸς νεώς* dici potuisse videtur.

27) Dodwell. de cycl p. 351. „Annum hunc certum facit eclipsis illa lunae, quae satis opportune contigit pro mente Xenophontis, etiam *ἑσπέρας*. Talem enim agnoscit Müllerus (Tab p. 174.) April. XV. hor. 23, 36′ 49″ post mediam noctem superiorem, anno periodi Iulianeae 4308. Nec aliter Usserius. Petavius (Doctr. temp. lib. X c. 28) e tabulis suis Parisinis Aprilis diei tribuit XVI, et quidem anno olymp. 93, 2. Tabulae nostrae Munych 1 ab April. die II coepisse docent. Sic plenilunium Munychionis (cuius ultimus erat exemptilis) dici XV vel XIV convenerit. Estque rursus exemplum, quam accurate cyclus Metonicus cum coelo consenserit.“ Cf. praeterea de eclipsibus lunae et solis apud Xenophontem Dodwell. de cycl p. 37.

28) Rerum enim turbare nexum et, quum sol defecisse dicatur mense Septembri, Agis autem cum Lysandro paullo ante, vel Munychione vel Thargelione mense constituto frigiota virorum imperio, reliquisse Atticam ferantur, temporum non satis computatio quadrare videtur.

νης μὲν οὖν καὶ ἡ γυνὴ ἔλεγον πρὸς Δαρειαῖον, δεινὸν εἶναι, εἰ περιόψεται τὴν λίαν ὕβριν τούτου· ὁ δὲ αὐτὸν μεταπέμπεται ὡς ἀῤῥωστῶν, πέμψας ἀγγέλους. Manifesto haec repugnant iis, quae mox §. 13 leguntur. Quum enim §. 9 Darius dicatur Cyrum (anno belli XXVI Olymp. $\frac{2}{3}$) morbi ad se specie vocasse, Cyrus anno sequente (Ol. 93$\frac{3}{4}$), quum Lysander iam advenisset, non solum praesto erat[29]) in provincia sua (§. 11 *ἐλθὼν δὲ παρὰ Κῦρον χρήματα ᾔτει· ὁ δὲ αὐτῷ εἶπεν, ὅτι τὰ μὲν παρὰ βασιλέως ἀνηλωμένα εἴη, καὶ ἔτι πλείω πολλῷ, δεικνύων ὅσα ἕκαστος τῶν ναυάρχων ἔχοι· ὅμως δ' ἔδωκε*), sed de patris etiam nihildum iussu comperisse videtur. Non ante enim quam Lysander ad naves profectus trierarchos instituisset nautisque mercedem solvisset, Cyrus eum ad se invitat (§. 13 *Κῦρος δ' ἐπὶ τούτοις μετεπέμψατο Λύσανδρον, ἐπεὶ αὐτῷ παρὰ τοῦ πατρὸς ἧκεν ἄγγελος λέγων, ὅτι ἀῤῥωστῶν ἐκεῖνον καλοίη, ὢν ἐν Θαμνηρίοις τῆς Μηδίας, ἐγγὺς Καδουσίων, ἐφ' οὓς ἐστράτευσεν ἀφεστῶτας*). Congruit his etiam Diodorus (XIII, 104), Cyri iter et ipse ad Alexiae archontis annum (Olymp. 93, 4) referens[30]). Unde nisi de duplici Cyri vel invitatione vel itinere cogitandum est, quod parum credibile videtur, vix potuit, qui illa scripsit, haec quoque scribere. In Anab. I, 1, 1 quoque rem ita Xenophon tradit, ut Cyrum perhibeat ad moriturum patrem (*ἐπεὶ δὲ ἠσθένει Δαρεῖος καὶ ὑπώπτευε τελευτὴν τοῦ βίου*) arcessitum neque ante eius mortem in provinciam suam reversum esse (cf. Anab. I, 1, 3 et Plutarch. Lys. c. 9). Hieramenes etsi haud iniuria pro patre Autoboesacis et Mitraei habetur, hoc tamen operae pretium erat monere, praesertim quum non alias eius apud Xenophontem mentio fiat[31]); unde laciniae locum non dissimilem duxerim, scriptori cuidam, cuius accuratior aliqua de his rebus narratio fuerat, dereptae. Quid quod Darii nomen, si non corruptum, certe ita scriptum est, ut nusquam apud Xenophontem legitur. In nomine sane Xerxis non fuisse videtur, cur Morus et Zeunius haererent; Darius enim Nothus filius erat Xerxis II, qui post Artaxerxem I regnaverat (Manetho ap. Syncell. p. 75, D. Clinton., p. 326). Mirabilis vero vocis *κόρη* usus videtur. Nam explicatur quidem sequentibus verbis, sed ea ratione, quae grammatico cuidam quam Xenophonti convenientior sit. In Cyropaedia enim (VIII, 3, 10, 13) et Anabasi (V, 8) res aliter traditur. Hic enim de candybus sermo est, quibus implicitas manus tenuerint, neque *κορῶν* mentio fit, sed *χειρίδων*, etsi eaedem hae fortasse fuerunt quae *κόραι*. Haec autem omnia si recte disputata sunt, verba (II, 1, 7) *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι*

---

29) Dum in imperio est Callicratidas, Cyrus in provincia usque sua fuisse videtur. Ille enim non solum hic eum adit, sed post etiam inde ab eo pecunia adiutus est. Hell. I, 6, 6. 18.

30) Wesselingius: „Caussam itineris, quod Cyrus ingressus est, exponit Xenophon Hell. II, sed in superiorem annum id conferens." Dissensus igitur, quem statuit inter utrumque scriptorem, nullus est, modo interpolatorem a Xenophonte recte distinguamus.

31) Neque e Thucyd. VIII, 58, quem locum Schneiderus attulit, aliquid lucis affunditur huic narrationi.

ἔδοσαν τὸν Λύσανδρον ὡς ἐπιστολέα, ναύαρχον δὲ Ἄρακον· οὐ γὰρ νόμος αὐτοῖς δὶς τὸν αὐτὸν ναυαρχεῖν continuo excipere videntur haec (II, 1, 10): Λύσανδρος δὲ ἀφικόμενος ἐς Ἔφεσον etc.

Finis anni septimi et vicesimi, qui II, 2, 24 ponitur, quum ad Athenas captas referatur, hae autem sexto decimo die Munychionis mensis (Ol. 93, 4) a Plutarcho expugnatae (Lys. 15) tradantur, suo sane loco positus est. Primum enim belli annum Thucydides (II, 2) ab hoc ipso mense exeunte exorsus est (Πυθοδώρȣ ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις). Argumento praeterea est imperii triginta virorum spatium, quod quum per octo menses decurrisse (II, 4, 21) atque hiberno tempore ad finem accessisse feratur (II, 4, 3), sublatum esse credibilius est Posideone [32]), quam quod Dodwello visum est Anthesterione mense (Olymp. 94, 1. 403 a. Chr.). Iam medio hoc anno Dionysius dicitur (II, 2, 24) tyrannus exstitisse (τυραννῆσαι), devictis ante proelio a Syracusanis Carthaginiensibus, qui tamen Agrigentum frumenti inopia ceperint, relicta a Siculis urbe.

Primum autem demonstrari potest, in hoc quoque peccatum esse contra temporum ordinem. Refert enim Diodorus [33]) ad Olymp. 93, 3, non solum Agrigentum captum (nam quod XIII, 109 Olymp. 93, 4 traditur Himilco aestate ineunte urbem delevisse, primum intelligendum est de reliquiarum urbis iam superiore anno expugnatae penitiore excidio, deinde vulgari apud Diodorum errore non ad ipsum pertinet olympiadis nonagesimae tertiae annum quartum, sed ad tertium annum exeuntem), sed etiam novas illas res, quas moliens Dionysius apud Syracusanos tyrannidem affectabat, et ipsum tyrannidis eius initium. Himilco enim Carthaginiensis quum aestate anni 405 a. Chr. n. iam ante initium, ut modo diximus, anni quarti olymp. 93, ad quem Diodorus retulit, Gelam invaderet, exspectabat, ut Dionysius cum exercitu in auxilium civibus veniret (XIII, 108), qui mox (c. 109) tyrannus dicitur Syracusarum. Itaque non tantum annus, quo Dionysius apud Xenophontem tyrannidem invasisse fertur, falsus est, sed etiam quod adiicitur μεσοῦντι. Quum enim per hiemem demum, quae captam Agrigentinorum urbem secuta est, imperium Dionysius occupaverit, medio hoc non potuit anno eo factum esse, cuius a veris cuiusque initio exordium statuitur. Verum vix esset si olympicus annus intelligeretur, de hoc autem si cogitasset auctor, novum interpolationis argumentum accederet.

---

32) Clinton. F. H. p. 286.

33) Diodoro quod in his rebus ita credimus, facimus non sane Graecarum rerum, quae est apud eum, computatione adducti; sed quia ipsa rerum ratio docere videtur, in Siculorum historia diligentius eum versatum esse.

Deinde *τυραννεῖν* quum eo tantum sensu h. l. accipi possit, ut „tyrannidem occupare“ significet, dubitare tamen recte possit, num Xenophon ita et diligentior quisque auctor scripsisset. Denique miro modo adiectum est *μάχῃ μὲν πρότερον ἡττηθέντων ὑπὸ Συρακουσίων Καρχηδονίων, σπάνει δὲ σίτου ἑλόντων Ἀκράγαντα, ἐκλιπόντων δὲ Σικελιωτῶν τὴν πόλιν*, quae verba quum significent „Dionysium tyrannum factum esse Syracusarum, quum Agrigentum a Carthaginiensibus, licet devictis per Syracusanos, captum fuerit“ sensus tamen eorum tum demum recte intelligitur, quum e Diodoro cognoscimus, rerum, in quibus Syracusani post expeditionem illam Carthaginiensium versati fuerint, angustias inprimis fuisse, quod Dionysium regnum affectantem iuvaret. Hoc enim tam obscure significatum est apud Xenophontem, ut verba ista quid sibi velint vix intelligas. Accedit quod aperte repugnant chronologicae rationes, quum comparamus Hell. I, 5, 21, ubi capta Agrigentinorum civitas ad Olymp. 93, 2 refertur, hic autem, et recte quidem, cum tyrannide a Dionysio occupata, quam auctor perperam Olymp. 93, 4 pro Olymp. 93, 3 adsignavit, sic coniungitur, ut integros duos annos vix statui potuerit interfuisse[34].

Sequentia (II, 3, 1 *ἐν ᾧ ἦν Ὀλυμπιάς — καλοῦσιν*), quod Dodwellus (de cycl. p. 359) monet, editos iam a Demetrio Phalereo fastos archonticos sapere, „cum iam versati fuerint in privatorum manibus, qui archontes pro arbitrio admiserint vel repudiarint, non autem coaevum aliquem scriptorem, qui ex ipsis hauserit archivis,“ quamquam minus fortasse recte monuit, quum fastorum vix posset serioribus auctoribus eiiciendi Pythodori nominis caussa esse, quae tam iusta fuisset Atheniensibus triginta virorum imperio infestissimis, eum tamen verba illa produnt auctorem, qui ita iam constitutos archontum fastos teneret, ut referendas res omnes ad eos esse censeret. Concidunt igitur hae quoque notae cum reliquis. His autem damnatis, fieri non potest, quin verba *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει — ἐγένετο ἡ ὀλιγαρχία ὧδε*, quae intacta reliquit Dodwellus, sed quae nisi adiunctis illis sensum vix habent, et ipsa proscribamus. De muris igitur Athenarum eversis quae traduntur (II, 2, 33), ea secuta statim videntur verba: *Ἔδοξε δὲ τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι.* Quo tempore enim creati triginta viri fue-

---

34) **Eodem vitio laborant eodemque nomine suspecta sunt, quae Hell. II, 3, 5 de Dionysio traduntur, qui quum victus a Carthaginiensibus dicatur Olymp. 93, 4, hic non esse potest nisi annus 405 a. Chr pro rerum a Diodoro expositarum ordine. Indidem autem apparet, tum Gelam et Camarinam, pace videlicet a Dionysio cum Carthaginiensibus facta, amissa esse, tum Leontinos (Geloos et Camarinaeos, qui in civitatem recepti erant Syracusarum) et equites Syracusanos urbe excessisse. Cf Diodor XIII, 113. Sed in his quoque sermonis desideramus diligentiam, quum Leontini dicantur Geloi et Camarinaei, qui tum demum ita vocari recte poterant, quum Syracusis Leontinos secessissent, equites autem missi esse tradantur a Dionysio Aetnam, quum e Diodori narratione refugium in ea civitate a crudelitate tyranni quaesivisse ferantur.**

rint, satis declarabant verba (II, 3, 11): *οἱ δὲ τριάκοντα ᾑρέθησαν μὲν, ἐπεὶ τάχιστα τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὰ περὶ τὸν Πειραιᾶ καθῃρέθη.*

Sed restat adhuc memorabilis locus (III, 3, 9—10), in quo reversi a Samo subacta Lysandri postquam mentio facta est, annorum belli, qui octo et viginti cum sex mensibus numerantur, ex ephororum nominibus computatio instituta est. Ac nomina quidem ephororum vera esse, ex iis intelligitur, qui a Thucydide passim memorati sunt (Thucyd. II, 2. V, 19. 25. VIII, 58), qui si magistratum inibant auctumno ineunte[35]), Eudicum, qui postremus vocatur, non incredibile est, iam ephorum fuisse, quum Lysander *τελευτῶντος τοῦ θέρους* Spartam reverteretur. Manifesto autem auctor errore liberari non potest, quod sex menses et octo et viginti annos attribuit bello, quod si computatur ab illo Thebanorum in Plataeenses impetu, quam Thucydides duobus mensibus ante finitum Pythodori archontis magistratum posuit, usque ad captas Athenas (Munych. XVI), ne pleni quidem septem et viginti anni conficiuntur; sin adnumerantur sex menses, quos Lysander et constituendo triginta virorum imperio et expeditioni in Samios susceptae insumserit, apud Xenophontem tamen non exspectaveris octo sed septem annos notatos. Corrigere autem, qui hodie reperitur in contextu Xenophontis, numerum audacius fuerit. Neque error ille aliter explicari possit, quam perversa annorum ex ephororum nominibus numerandorum ratione, quam si admisisset Xenophon, in eandem incidisset fraudem, a qua tantopere Thucydides (V, 20) dehortatus erat. Quid quod historiam Thucydidis ipse Xenophon primum in lucem emisisse fertur, ille autem septem tantum et viginti annos diserte bello tribuerat? (V, 26: *ἔτη δὲ ἐς τοῦτο* (sc. *μέχρι οὗ τήν τε ἀρχὴν κατέπαυσαν τῶν Ἀθηναίων Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι, καὶ τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον*) *τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν.* Cf. etiam sequentia eiusd. cap.). Studio autem, quod constat Xenophonti erga Lacedaemonios fuisse, abuteretur, qui propterea crederet, eum chronologicis etiam eorum rationibus se adstrinxisse[36]). Interpolatoris igitur quae tam

35) Neque accuratius ineuntis ephororum magistratus tempus ap. Thucyd. V, 36 constituitur: *Τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου χειμῶνος (ἔτυχον γὰρ ἔφοροι ἕτεροι καὶ οὐκ ἐφ' ὧν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο, ἄρχοντες ἤδη, καί τινες αὐτῶν καὶ ἐναντίοι σπονδαῖς).* Dodwellus (de cycl VIII, p. 320) tamen inde concludit, „coepisse et ephororum magistratum et annum Lacedaemoniorum civilem ab aequinoctio autumnali, vel ab illo potius civili novilunio, quod pro cycli lege aequinoctium illud proxime sequi censeretur.“ Adsentientem habet Idelerum, Chronol. I, p. 362.

36) Unde Clintonum quoque recte statuisse negamus, qui quum Dodwello in reliquis temporum notis reiiciendis adsentiretur, de illo ei ephororum Spartanorum indice refragatus est. „Nam Xenophon,“ dicit, „bellum ex Lacedaemoniorum computatione circumscribit, quod quum Athenienses urbe capta terminatum statuerent, Lacedaemonii circiter sex mensibus post i. e. auctumno 404 a. Chr., quo quidem tempore Lysander Samo subacta Lacedaemonem revertit, finitum esse sumserunt. Consilio suo accommodate Xenophon ephororum nomina, secundum quos Lacedaemonii annos suos notaverunt, proposuit.“ Quid quod ex indice adeo illo promisisse

multis in locis grassata est, opera hic quoque impegisse videtur [illegible] numquam ille cogitasset. Neque ille sane quum undetriginta [illegible] lapsus est, ut undetriginta etiam annos statueret, sed quum initium [illegible] non accurate teneret et ad vernum fortasse tempus referret, factum [illegible] eum, quem indicavit, annorum numerum deveniret.

Haec autem si recte disputavimus, discrimen etiam tollitur, [illegible] priores quidam et reliquos posteriores libros statuerunt. Ab ingenio [illegible] ris quod repetiverunt, nullum est; neque diversis eum temporibus [illegible] et [illegible] quam dicunt, continuationem et historiam Graecam scripsisse[37], neque eum [illegible] pensiorem Lacedaemoniis vel infestiorem Atheniensibus in hac quam in illa [illegible] monstrari potest; quod autem quaesiverunt in genere scriptionis, hoc eo [illegible] tinet, quod ad singulos intentior annos describendos in prioribus quam in [illegible] libris fuerit, id quod fecerit Thucydidis imitatio, ad cuius in illis plane se [illegible] composuerit. Thucydidis autem ut in opere suo diligentiam referret, accu[illegible] intelleximus ei agendum fuisse, etiamsi aestiva et hiberna tempora plerumque [illegible] rit, quae vero in quibusdam locis vel exeuntium vel ineuntium annorum notae [illegible] sunt, rationi partim Thucydidis contraria esse, partim ineptum imitatorem prod[illegible]

---

dicit, quas interpolator singulis annis ephororum nomina adsignavit? Nihilo secius [illegible] norum, per quos gestum sit bellum, spatium iusto esse longius intelligit [illegible] sex mensium et octo et viginti annorum notam corruptam vult. F. H. p. 286 [illegible]

37) Accurate hoc demonstravit Krüger (Historisch-philologische Studien), in commentatione de [illegible] nophontis Hellenicis, quam ad refutandum Niebuhrium scripsit.

multis in locis grassata est, opera hic quoque impegisse videtur Xenophonti, de quibus nunquam ille cogitasset. Neque ille sane quum undetriginta ephoros numeraret, lapsus est, ut undetriginta etiam annos statueret, sed quum initium muneris ephororum non accurate teneret et ad vernum fortasse tempus referret, factum esse videtur, ut ad eum, quem indicavit, annorum numerum deveniret.

Haec autem si recte disputavimus, discrimen etiam tollitur, quod inter duo priores quidam et reliquos posteriores libros statuerunt. Ab ingenio enim illud scriptoris quod repetiverunt, nullum est; neque diversis eum temporibus illam et Thucydidis quam dicunt, continuationem et historiam Graecam scripsisse[37], neque eum vel propensiorem Lacedaemoniis vel infestiorem Atheniensibus in hac quam in illa fuisse demonstrari potest; quod autem quaesiverunt in genere scriptionis, hoc eo inprimis pertinet, quod ad singulos intentior annos describendos in prioribus quam in posterioribus libris fuerit, id quod fecerit Thucydidis imitatio, ad cuius in illis plane se exemplum composuerit. Thucydidis autem ut in opere suo diligentiam referret, accuratius tamen intelleximus ei agendum fuisse, etiamsi aestiva et hiberna tempora plerumque observarit, quae vero in quibusdam locis vel exeuntium vel ineuntium annorum notae allata sunt, rationi partim Thucydidis contraria esse, partim ineptum imitatorem prodere.

---

dicit, quae interpolator singulis annis ephororum nomina adsignavit? Nihilo secius autem annorum, per quos gestum sit bellum, spatium iusto esse longius intelligit illamque propterea sex mensium et octo et viginti annorum notam corruptam vult. F. H. p. 286 not.

37) Accurate hoc demonstravit Krüger (Historisch-philologische Studien), in commentatione de Xenophontis Hellenicis, quam ad refutandum Niebuhrium scripsit.
